

*in concupiscentiis*, intelligitur, concessisse in necessitatibus curam carnis esse habendam, quia mos est sanctorum praedicatorum, illam causam specialiter nianifestare, de qua potest aliqua dubitatio nasci, sicut facit S. Matthaëus evangelista, qui de B. Joseph dicit: *Non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum*; quem sensum B. Gregorius in moralibus libris ita exponit dicens: *Non quod hanc post nativitatem Del cognoverit, sed nequaquam illam contigit, etiam cum conditori suo matrem esse nescivit. Nam quia eam nequaquam contingere valuit, postquam redemptionis nostrae ex ejus idero celebrari mysterium agnovit, de illo profecto tempore necesse erat, ut evangelista testimonium ferret, de quo propter Joseph ignorantiam dubitari potuisset*. Sic itaque S. Benedictus intelligitur in hoc loco fecisse, cum de illis carnibus dicit specialiter, esse abstinendum, hoc est, quadrupedum, unde poterat dubitatio nasci, utrum debuissent propter non suam magnam dulcedinem, annon debuissent comedi. Ceterum de volatilium carnibus non erat ei opus dicere specialiter, non esse comedendas, quia certus erat, non debere eas comedi, eo quod dulciores sunt, et cognoverat, etiam Dominum superasse vota desiderantium in deserto, sicut Cassiodorus dicit, non ministrando carnes quadrupedum, sed carnes volatilium tribuendo, quae dulciores videlicet carnes sunt, quam in quadrupedibus existunt.

*Cap. XXXVII.*

DE SENIBUS VEL INFANTIBUS.

Congruum ordinem tenuit S. Benedictus in eo , quod prius dixit de infirmis, qualiter eorum debeat esse cura, et nunc subjunxit de senibus vel infantibus, quia quamvis non pleniter ita, sicut infirmi, tamen adjuvamine indigent. Nunc videndum est, quare S. Benedictus dixit prius de senibus et postmodum de infantibus, cum infantia prior est, quam senectus. Ideo enim prius dixit de senibus quam de infantibus, eo quod plus est debiliior senectus quam infantia. Senectus enim deficiendo minuitur robore, infantia autem crescendo adsumit; et senectus plus est fragilis